

III.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 18.

---

*Secretum litterarum commercium inter Pivos  
et vita functos*

Ad celebrem Aerostatam Blanchard — in  
Campis Elysiis.

Ex Mundo Sublunari.

---

Elysium-Meum.—Die Veneris 31 Mart. 1809. (Neov. 14. Mart. 1809)

---

**S**ic se habet mundi vanitas temerarie Blancharde! quatuor, non pluribus, asseribus continetur, qui monumenta a Principibus erecta sibi, gloriatur! hic jacet, pulvis & Cinis, qui superbe in spatio infinito ad Coelos se se evexit, qui per sublime gloriosus incessit, modico tumulo contegitur, qui tam sæpe super eo se extollebat, cupiditasque vehemens alios orbis lustrandi, modico spatio sepulcrali sedata est. Hæc est hodierna effigies Blanchardi. O vanitas vanitatum, cogor in hæc verba erumpere, o omnia vanitas!

En aliquid pro solatio Care Blanchardel Princeps Imperii Archi-Cancellarius viduæ Dominæ Blanchardi significandum curavit: se ejus rationem habiturum, & spes bona ad fulget, fore futurum, ut ea, ceu comes ærostaticarum Itinerationum & tanquam Conjugalitatis fidei exemplar, annua pensione detur.

Nullus dubito Manes primum adcurrere, quam comperiant: Celebrem aëronautam Blanchard stygiam ad oram adpulisse; quæ etiam ratio est, quod hisce litteris quædam nova adjiciam ad tranquillitatem animis eorum conciliandam.

Et quidem ex Monitore de 8. Martio sequentia ex tempore expugnationis Cæsaraugustæ referuntur: De vita Palafoxii conclusum est, in extremis jacet. Hic vir in urbe Cæsaraugusta augmentum abominationis est. E re visum: excubias ad fores locare, ad prohibendum, ne a plebe lapidibus obruatur. Miserandus hujus urbis conspectus est; memorabile exemplum infelicitatis, quam fanaticus furor elicere valet; Tertia ejus pars ope Cuniculorum in auras ejecta est; reliquæ duæ tertiæ globis ignitis dirutæ. Incolæ ad Cellaria se receperunt. Quotidie 5 - 600 perierunt. In omnibus publicis locis patibula deprehensa, quibus suspenderentur, qui deditioem loquerentur; Collegium id genus mandata exequens senis constabat monachis, bini nomine Basilis & Assace a secretis Palafoxii Consiliis glande plumbea trajecti; eorum supplicium plena luce locum habuit: Incolæ Cæsaraugustæ maxima cum voluptate liberatos se ab his miseris, quibus omnem suam infelicitatem tribuebant, spectarunt; ædes sacra del Pilar cadaveribus repleta, atque ictibus tormentorum pertusa; Gen. Dux Oneile obiit: Mareschallus de Montebello sub 26. Febr. nunciat: 100 mille sclopos,

plerosque Anglicanæ fabricæ: & 200 bellioas machinas deprehensas fuisse; Nosocomiis 15000 ægrorum omnis ætatis, & sexus ex Urbe Cæsar Augustana & adsita regione contineri, eos, centuriatim, quamquam omnis medica Cura adhibeatur, emori; 15000 Captivi Cæsaraugusta abducti in iua Pampe-lona Bajonnam constituuntur. Agmen Gen-Ducis Marlot eos comitatur. Ad notionem abominationis habendam, qua urbs in Palafoxium, monachos, suosque duces fertur, annus 93 prioris seculi in memoriam revocandus est, odiumque mente concipiendum, quod ii contraxerant, qui quasvis agendi rationes excedentes, terrore, suppliciis, sanguinisque profusione grassabantur, sicque immensam pluralitatem, quæ eos abominata, oppressere. Expugnatio Cæsaraugustæ & tranquillitatem universæ Aragoniæ restituit. Dux de Treviso in itinere Loricam (Cataloniæ) constituitur.

Vix res hispanicæ ad ordinem redactæ sunt, jam in meditullio Europæ — utpote: Germania, novi occipiunt armorum adparatus. Ausrria, Saxonia, Würtemb. Fœdus omne Rhenanum sub armis conspicitur. Mareschallus Dux Auerstad. die 6 hujus Parisiis Francofurtum adpultit, Copiis Gallicanis in Germania adhuc morantibus cum imperio præest. Ergo bellum orietur? — Adhucdum fessa malis humanitas spe se solatur: fortassis Russiam intercessuram, & controversias amica ratione componendas; reapse die 10. Francofurtum præteriit Cæsareus Russicus Adju-

tor Gorgelio ceu Cursor Parisios; adferens chirographum Alexandri Imperatoris ad Napoleonem. Radius isthic spei quorumvis penetrat animos.

Interea legitur Stuttgarda de 11. Martio sequens publicis paginis contentum argumentum: — Ephemerides hujates seqv. Edictum Regium pronulgant: „Cum Majestas Regia benignissime decreverit: ut omnes subditi sui, cujusvis status & dignitatis, absque ullo discrimine: an veniam diutius extra ditiones Rhenani fœderis morandi ante impetrarint, confestim ad ditiones Regias revertantur, ea propter id hisce iis notitiæ, observantiæque datur, publiceque significatur: quo si hic reditus in patriam intra 4. hebdomades locum non habuerit, eorum immobilia juxta & reliqua mobilia in ditionibus Regiis bona, mox & absque ulla exceptione adprehendenda sint, atque subsequo tempore Fisco addicenda, hæc proinde uberioraque Consectaria suæ absentia, sibi met ipsis tribenda habebunt, Stuttgardæ ex Gubernio supremo Regio. 9. Martii 1809.

Prætervectus his diebus isthac itinerans Cæs. Gallicus Legatus ad Cæs. Austriacam aulam Gen. Dux & Comes Andreoffy primarium suum legationis Secretarium Dodun, ceu negotiorum gestorem se absente isthic reliquit.

Die 8. Cæs. Gallicus Cursor Parisiis veniens, & 9. Gallicus Colonellus Hangeranville, atque Gallicus Ordonantiæ Officialis Falbonet, & rursum Gallicus Cursor isthac prætergressus. Ulmam versus viam ingressi sunt.

*Carollina die 25. Febr.* Hodiernum regimini Nuncium continet Supremam dispositionem de 3. in argumento rationis & temporis, Codicis Napoleonis inducendi, ceu legis Civilis, & municipalis Juris in Magno Ducatu, Obligatio ejus, vigore hujus, cum 1. Julii h. a. in omnibus ejus capitibus exordium capiet; in quibus ad singularia Juris objecta in præsente dispositione aliud expresse non præscribitur. — Porro hodierna regiminis pagina in cæteris habet: *Honoris Collatio.* Sua Regia Serenitas relationem Generalis studiorum Commissionis suæ, de Pestaloziano litteratio Instituto privato, Parochi *Kleinschmidt* Pforzhemii, singulari animi cum voluptate intelligere dignata est, qua is, rem educationis in genere, in specie in Pestalozianæ docendi methodi adplicatione, solertia sua privatum hoc institutum promoverat; quapropter his se motam sentit Eadem Serenitas, in argumentum altissimæ adprobationis exhibitæ & per se, & laborum socios ad promovendam rem scholasticam & Educationis, alacritatis, *aureum* meritis destinatum *numisma* memorato sacro Curioni impertire, & conferre; uua hanc benignam remunerationem publici Juris faciendam decernit. *Carolinæ 18. Febr. 1809.* Ministerium negot. int. *L. B. ab Hacke. Büchler.*

*G a l l i a.*

*Parisiis die 10. Martii.* Causa & motivum Itineris Ser. Principis Borghese Turino Parisios sunt nuptiæ Principis Aldobrandini, memorati Principis fratris. Dicitur viduam Prin-

cipem Carignan de Sabaudia, Saxoniam Principem sibi desponsaturus.

Monitor hesternus sequentes navales relationes promulgavit; Dux navalis Gantheaume ad rei maritimæ ministrum: „In nave Linealis: Commercii Paris. in regione & ora Tulon. 18. Febr. Mi Domine! die 27. h. navigia Suxæ Maj. Penelopem, & Paulinam excurrere jussi ad removendum navigium Anglicanum, quod pluribus diebus pertinaciter admodum motus in ora perspeculari videbatur, Centurio Penelopes Dubourdieu, & Paulinæ Montfort, jussa habebant, vesperi revertendi, postquam mandata executi, Anglicum navigium eos insequebatur revertentes & se recipientes; & nocte ingruente ad exiguam distantiam ex promontorio Sicie nuncupato rediit, ad navigium Suxæ Majestatis recognoscendum; jam tum utrumque navigium denuo vela dare jussi, ut primum tenebræ noctis admiserint, ne eorum actiones ab hoste animadvertantur; ut primum Cursum suum ad altum dirigant, ea ratione, ut hostili navigio reditus præcludatur, idque eorum adorianantur; hæc operatio militaris tanta cum dexteritate atque exactitudine effectui data, ut Excell. D. V. ex advoluta Appendice relationem perceptura est, quam Centurio Dabourdieu mihi de emolumentis ex ea perceptis præstitit. Navigium Proserpina elegans, de integro nova, superiore primum anno structa navis est, quæ post triduum sub vexillo Imperatoris vela dare poterit. Qui sum

&c. Centurio Dubordieu, Præfectus navigii  
 Suxæ Maj. Penelope, ad Præfectum navalem  
 Gantheaume. , Ex ora Tulon. die 28. Febr.  
 in nave Penelope. Domine Admiralis! Se-  
 cundum mandatum Excell. D. V. navigia Im-  
 peratoris: Penelope sub meo, & Paulina sub  
 Centurionis Montfort imperio besterno vespere  
 hora 8. anchoras solverunt, Anglicanum  
 navigium, oram accedens, postquam revertis-  
 semus, adoriendi repellendique causa. Et  
 fortuna favit consilia hæc exequendi. Circa  
 matutinam 2dam navigium animadvertimus,  
 media 5. pugna cæpit, & 6. hora deditionem,  
 vela submitendo, fecit, tanta fortuna ute-  
 bamur, ut quamquam arcte adhærentes, no-  
 cturnoque tempore pugnaverimus, nec Pe-  
 nelope, nec Paulina unius viri jecturam su-  
 lerit, aut ullus vulneratus sit; Penelope in  
 velorum & fundamenti adparatu modicum,  
 at Paulina opportuno situ, quo se conser-  
 vare novit, nec minimum detrimentum pas-  
 sa est. Hostile navigium est Proserpina, 42  
 tormentis, ductu Centurionis Caroli Otter, 260  
 viris præsidariis constans, nondum annus est,  
 ex quo fabrica excessit, & a bimestri in re-  
 gione Tulon. discurrit. II viri in eo inte-  
 remti. Operam, quam in hoc negotio Cen-  
 turio Montfort præstitit, prout & agendi ra-  
 tionem, atque solertiam officialium & totius  
 utriusque navigii militiæ, satis nequeo de-  
 prædicare; Ego sum D. V. &c. Subs. Du-  
 bourdieu. *Ut se res dabet de bello, aut pace?*

Longa via inter Parisios & Germaniam de presenti ultra modum fervet; Cursores, Officiales Stabi, peregrinantes magnæ auctoritatis, sibi occurrunt mutuo. Præcipua copia est Russorum Gallias petentium. Multi eorum sub initium veris australes provincias, aut Italiam petere intendunt. — In A'satia super. prope diem adventurum agmen Gen. Ducis Molitor annunciabatur; quod ex aliquo tempore in Burgundia stationem habuit. Id quoque vulgo creditur: Agmen Gen. Ducis Bondet similem destinationem obtenturum.

#### B I O G R A P H I A

Aeronauta *Blanchard*, dudum jam per Novellistas ad Elys. expeditus reapse 7. Mar. eo commigravit; apoplectico ictu stratus, & omnibus artubus captus 54 diebus jacuit; obiit pauper, ab omnibus, quos olim beneficiis cumulavit, desertus, ut D. Ursin in funebri ad tumulum habita oratione declaravit, sola conjux usque finem vitæ inter molestissima obsequia ei adhæsit, & merito exemplar conjugalis Unionis proponitur; itinere suo aërostatico ultra millionem lucri fecit, at has ille opes justo liberalius præstandis beneficiis, artiumque arcanis consecravit. Cadaver anatomicè sectum; sectionem perfecere Cl. Medici Gall, Sparzheim, Demangeon, Vincent, Nauche & St. Ursin. descriptionem ejus texunt Ephemerides Sanitatis. Erat vir optimæ ætatis. D. a. S. Ursino opera ejus colliget ad usum & adplicationem doctorum publicæ luci editurus.

Longa via inter Parisios & Germaniam de præsentī ultra modum fervet; Cursores, Officiales Stabi, peregrinantes magnæ auctoritatis, sibi occurrunt mutuo. Præcipua copia est Russorum Gallias petentium. Multi eorum sub initium veris australes provincias, aut Italianam petere intendunt. — In A'satia super. prope diem adventurum agmen Gen. Ducis Molitor annunciabatur; quod ex aliquo tempore in Burgundia stationem habuit. Id quoque vulgo creditur: Agmen Gen. Ducis Boudet similem destinationem obtenturum.

#### B I O G R A P H I A

Aeronauta *Blanchard*, dudum jam per Novalistas ad Elys. expeditus reapse 7. Mar. eo commigravit; apoplectico ictu stratus, & omnibus artibus captus 54 diebus jacuit; obiit pauper, ab omnibus, quos olim beneficiis cumulavit, desertus, ut D. Ursin in funebri ad tumulum habita oratione declaravit, sola conjux usque finem vitæ inter molestissima obsequia ei adhæsit, & merito exemplar conjugalis Unionis proponitur; itinere suo aërostatico ultra millionem lucri fecit, at has ille opes justo liberalius præstandis beneficiis, artiumque arcanis consecravit. Cadaver anatomicè sectum; sectionem perfecere Cl. Medici Gall, Sparsheim, Demangeon, Vincent, Nauche & St. Ursin. descriptionem ejus texunt Ephemerides Sanitatis. Erat vir optimæ ætatis. D. a. S. Ursino opera ejus colliget ad usum & adplicationem doctorum publicæ luci editurus.